A. BERLESE

ACARI, MYRIOPODA ET SCORPIONES
HUCUSQUE IN ITALIA REPERTA

ACARI, MIRIAPODI E SCORPIONI
ITALIANI

OPERA SUSSIDIATA DAL R. MINISTERO DELLA PUBBLICA ISTRUZIONE
DIETRO IL PARERE DEL CONSIGLIO SUPERIORE


---

complete

FASCICOLO LXXIX.

PADOVA
PREMIATO STAB. F.lli SALMIN
20 Aprile 1896

Prezzo It. Lire 4.



Berlese DIS. INC. DIP.

1

SARCOPTES CANIS GERL.

Fasc. LXXIX, N. 1.

Sarcoptes Canis Gerl.

Gerlach, Krätze und Räude, p. 141, tab. II, III, fig. 11-14.

Fürstemberg, Krätzmilben, p. 214, tab. IV, (*S. squamiferus*) ex p.)

Delafond et Bourguignon, De la Psore, p. 460, tab. 1, fig. 3-4.

Perroncito, I parassiti, p. 436.

Railliet, Zool. 2 edit. p. 657 (*Sarcoptes scabiei* var. *canis*).

Canestrini, Acarof. it. p. 741, tab. 63, fig. 1-3.


S. *albidus, dorso in medio squamulis aeque longis ac latis, totum medium dorsum occupantibus, spatio nullo libero reliquentibus praedito. Maris vittae chitineae laterales epiandrii cum epimeris posticis concurrentes.*

Mas *ad 240* μ *long.;* Foem *400-480* μ *long.*

Habitat. *Scabiem crustosam inducit in Cane familiari, quae scabies in toto corpore est diffusa; facilius homini transmittitur, sed non aliis animalibus.*

Obs. Canes plures sic morbo occupatos *Portici* vidi, ex quibus exempla delineata collegi.

April 20, 1896.



D.S. INC. DIP.

2.

NOTOEDRUS CATI HER.

Fasc. LXXIX, N. 2.

Notoedrus Cati Her.

Hering, Krätzmilben, p. 605, tab. XLIV, figg. 9, 10, (*Sarcoptes cati*).

Gerlach, Krätze und Räude, p. 149, tab. III, fig. 17-19 (*Sarcoptes cati*).

Fürstemberg, Krätzmilben, p. 215, tab. VIII, (*Sarcoptes minor*).

Mégnin, Les parasites, p. 174, (*Sarcoptes notoedres* var. *cati.*).

Perroncito, I parassiti, p. 438, (*Sarcoptes cati*).

Railliet et Lucet, Note sur le Sarcopte des Muridés (Compt. Rend. d. Seances Soc. de Biologie 1893).


Railliet, Zool., 2, ed. p. 660 (*Sarcoptes minor* var. *Cati*.

Canestrini, Acarof. it. p. 752.

N. *albidus, dorso in medio squamulis latis obtusis occupato, spinis iliacis robustioribus. Foemina ano dorsuali, sat margini corporis postico propinquo. Mas 180 μ long. Foem. 300 μ long.*

Habitat *super Felim cattum domesticum, in quo scabiem durius crustosam et graviorem in toto capite inducit. Exempla plurima collegi ad Portici, super catulos sic morbo occupatos.*

April 20, 1896



3

EPIDERMOPTES BILOBATUS RIV.

Epidermoptes bilobatus Riv.

Rivolta, Nuova forma di rogna nei polli. (Giorn. Anat. Fis. e Patol. degli animali, VIII, 1876).

Caparini, Nuova forma di rogna nei polli, etc. (Bull. Veter. di Napoli, I. 1880) (*Symbiotes* dei polli).

Trouessart et Neumann, Types nouveaux etc. (Bull. Soc. Études scient. Angers. 1887, p. 141).

Canestrini, Acarof. it. p. 827, tab. 68, fig. 1-16.

E. *terreo-albidus; epimeris anticis intersese discretis. Mas pedibus quarti paris ceteris vix crassioribus, abdomine postice perstricto, bilobo, lobulis brevi membrana rectangula, hyalina marginatis, externe tripilis. Foem. postice rotundata. Mas 220* μ *long.; foem.* μ *long.*

Habitat *super gallinas domesticas.*

Obs. Epimera antica intersese discreta.


Mas (1) Abdomine rhombico, postice attenuato, bilobo. Quisque lobulus membranula quadam hyalina, rectangula est terminatum. Huius lobuli in latere exteriori, setulae tres sunt, ex quibus media longior, laterales minimae. Pedes omnes crassiusculi, inter sese aeque longi; postici tamen ceteris crassiores, abdominis apicem non superantes. Penis rectus, bre-

April 20, 1896.

vissimus. Disculi copulationis rotundi, ad incisuram abdominis propinqui, intersese sat discreti.

Foem. (3, 4) rotundata, dorso biscutulato, postice longe bipila, pedibus primi et secundi paris ceteris crassioribus.

Expl. tab. 5 tarsi postremi paris, in mari, apex.



Berlese dis. inc. dip.

4

CHORIOPTES EQUI HER.

Chorioptes Equi Her.

Hering, Die Krätzmilben, p. 585, tab. XLIII, fig. 1, 2 (*Sarcoptes equi*).

Gerlach, Krätze und Räude, p. 105, tab. VII, fig. 35-38 (*Symbiotes equi*).

Mégnin, Les parasites, p. 200, pl. XVIII-XIX (*Chorioptes spathiferus*).

Railliet, Zool., 2. edit., p. 572, (*Chorioptes symbiotes* var. *equi*).

Ch. *albido-terreus, epimeris anticis discretis. Mas abdomine postice bilobo, spathulis longis hyalinis, lanceolatis duabus, nec non pilo simplici exteriori in quoque lobulo aucto, pedibus tertii paris ceteris valde longioribus, extremum abdomen summa tibia tarsoque superantibus.*

Mas. *310-360 μ long.*


Foem. *380 μ long.*

Habitat. *Scabiam chorioptieam inducit in extremis pedibus Equi caballi.*

Obs. *Chorioptes bovis* (Gerl.) Can; huius speciei varietas mihi videtur, neque magnitudine distincta, quod mas sit 310-330 μ long., neque ullo charactere structurae.

Tamen speciem diversam putat Gerlach, quod exemplis speciei in equo cavallo viventibus, numquam boves infectare potuerit.

April 20, 1896.



5

GEN. RHYZOGLYPHUS CHAR.

Fasc. LXXIX N. 5.

GEN. RHIZOGLYPHUS CLAPAREDE 1869

(ῥίζα = **radix**; γλύφω = **pungo**)

Tyroglyphus (ex p.); Fumcuze et Robin, Iournal de l'Anat. et de la Physiol. IV année 1867).
Rhyzoglyphus; Claparede Studien an Acariden. p. 505, 506.
» G. Canestrini, Acarof. ital. p. 357 tav. 25, fig. 1, tav. 33, fig. 1.; idem, I Tirogli- fidi, p. 31, tav. 1, fig. 14-16.

Characteres fere omnes generis *Tyroglyphus*, a quo genere tamen genus hcc characteribus istis est diversum:

Ambulacra pedum omniun ungue unico maiori, absque membranula basilari constituta. Pedes omnes robustiores et spinis crassis validis, praecipue ad apicem aucti.

Mares polymorphi, quod nonnulli (1) pedibus tertii paris secundis et tertiis debilioribus auguntur, aliique (2) pedibus tertii paris ceteris valde crassioribus, ungue robustiori haud articulato sunt praediti. (Mares isti heteromorphi dicuntur, ceteri homeomorphi).


Ceterum mares valde statura quoque variant in eadem specie, quod in *R. echinopodo* videbis mares

April 20, 1896.

homeomorphos 650 μ usque ad 950 μ long.; mares heteromorphos 380 μ usque ad 750 μ long.

Nymphae hypopiales minimae (4) disculis adhesionis in ventre nullis (exceptis duobus minimis ad anum) ita ut videatur totum ventrem, marginibus suis elevatis et circum late planis quasi cucurbitulam ad adherendum aptum esse. Ceterum *hypopis* Tyroglyphorum similes.

Expl tab. Figurae omnes e *R. echinopodo.* 3 mas homeom. pronus; 4 *hypopus* 230 μ long. (Foem. adulta 1,10 mill. long.)



Berlese DIS. INC.

5

GEN. HISTIOSTOMA CHAR.

Fasc. LXXIX. N. 6.

GEN. HISTIOSTOMA KRAMER 1876

(ἱστίον = **velum, membranula**; = στόμα **os**.)

Tyroglyphus (ex p.); Mégnin, Mém. Anatom. et Zool. sur un nouvel Acar. de la fam. des Sarcopt. (Journal d'Anatomie et Physiol. IX année, 1873).
» id. Mém. Sur les Hypopus. *ibid.*, X année. 1874).
Histiostoma; Kramer, Beiträge Zur Naturghescihte der Milben. (Archiv. für Naturgh. Iahrg. 42 Bd. 1. 1876
» Berlese A. Indagini sulle Metam. di alcuni acari insett. (Atti R. Istituto Veneto di Sc. Lett. Arti, vol. VIII, Ser. V. p. 3).
» Canestrini G. I Tiroglifidi p. 17.
» id. Acarafauna it. p. 354.
» Iensen, En Tyroglyphide i Hesteiglens Ægkapsel.

Corpus (1) longe pentagonum, sive anterius subacutum postice truncatum, totum gibbis elevatis (praecipue in pullis) auctum.

Rostrum (2) conicum, acutum, superne mandi-

April 20, 1896.

bulis acutioribus, serrulatis (*a*, 4) et palpis curtis, latis (2 *b*) apice membranulis dilatatis, bipiligeris (3) praeditum.

Mares (4) foeminis minores, pedibus robustioribus. Disculi copulationis nulli; disculi genitales (5 *a*) quatuor, varie in ventre dispositi, aliquando satis a pene (*b*) discreti.

Foeminae (6) disculis genitalibus fere semper in sterno dispositis.

Pedes (7) mediocres, robustuli, breviter spinosi, ungue robusto, membranula ambulacrali nulla armati. Primi secundique paris tarsi, prope basim, clava tactili praediti.

Corpus, praecipue in adultis, totum granulis chrystalliformibus hyalinis dense repletum, oxydi hydrati Kalii vel Natri solvendis.

Adest in maribus polymorphismum, quod mares sunt statura maiores (4) aliique minores (8) in eadem specie.

Nymphae hypopiales (9) perobviae, pedibus primi secundique paris ceteris valde maioribus, inferne ad extremum ventrem disculis adhesionis numero decem vel duodecim praeditae sunt, colore pallide terreo pictae, insectis aliisque arthropodi arcte adnexae.

Habitant in putrescentibus, perobvii.

Expl. tab. Figurae omnes e *Histiostoma rostroserrato* sunt delineatae. Fig. 10 nympham, hypopum continentem, ostendit e latere visam.

Fasc. LXXIX, N. 7.

GENUS. AMERUS BERL. N. GEN. (1896)

(α = **non** μέρος = **segmentum**)

Corpus elongatulum. Abdomem convexiusculum, in dorso cum cephalothorace omnino confusum. Deficiunt omnino lamellae in cephalothorace. Tectopedia secunda et tertia bene evoluta auriculiformia, ut in genere *Belba* conformata.

Pedes corpore longiores, femuribus in medio parce incrassatis, pilis verticillatim dispositis aucti.

Ambulacra unco unico constituta.

Belbis affines, sed abdomine, in dorso, cum antico omnino confuso satis distincti.

Species typica (et unica) *Amerus Troisii* Berl.

April 20, 1896.

Fasc. LXXIX, N. 8.

GENUS ANGELIA BERL. 1885 (1)

(patri meo, **Angelo**, dicatum)

Abdomen trapezoideum, sive plerumque posterius latius quam anterius, vel subovatum. Dorsum plus minusve excavatum, vel complanatum, vel tenuissime convexiusculum.

Anticum corniculis, in genere *Nothrus* manifestis, omnino destitutum.

Pedes mediocres, unguibus ternis (vel binis) vel ungue unico terminati.

Setae pseudostigmaticae semper longe filiformes.

Genus hoc satis a genere *Nothrus* diversum, sed a genere *Hermannia*, tantum notogastro haud convexo, et scutulis pluribus aucto, minus bene distinguitur et per *Angeliam palliatam* in *Hermannias* incurrit.

Species typicae *Angelia palustris* et *A. sylvestris*.

For figures see under Nothrus.

---

(1) Anno 1885 subgenus generis *Nothrus* institui, nomine *Angelia* significatum (fasc. XVII, N. 4).

April 20, 1896.

Fasc. LXXIX. N. 9.

GENUS DAMEOSOMA BERL. 1892 (1)

(**Damoeus** n. pr., σῶμα = **corpus**)

Corpus ut in *Oppiis*. Derma nitidum. Anticum bene ab abdomine discretum et maiusculum. Adsunt lamellae, plus minusve evolutae, et saltem pili lamellares et interlamellares manifestiores. Tectopedia prima evanida, tectopedia secunda bene evoluta, sed non auriculiformia, tantum subvalvaeformia. Tectopedia cetera nulla.

Pedes in eodem corporis margine omnino lateraliter insiti, corpus longitudinem aequantes vel, aliquando, superantes. Ambulacra unco unico, valido constituta.

Larvae et nymphae dermate molli praeditae, numquam exuviis vel quisquiliis in dorso auctae.

Species typica *Dameosoma concolor*.

---

(1) Anno 1892 sectionem *Dameosoma* in genere *Belba* introduxi; nunc peculiare genus instituo, in alia familia, a *Belbis* discretum, inserendum. (Videas Fasc. LXIII, N. 3).

April 20, 1896

GENUS TECTOCEPHEUS BERL. N. GEN. (1896)

(tectum - cepheus)

Abdomen cum antico, in dorso, omnino confusum, neque sulco ullo distinctum.

Lamellae manifestae, sat magnae, apice piligerae.

Derma scabrum, sive punctulis elevatis auctum.

Pedes mediocres; ambulacris unco unico constitutis.

Tectopedia secunda et tertia bene manifesta; haec mucroniformia, maiora.

Species unica hucusque nota est *Tectocepheus velatus.*

Oudemans 1900d, p.144: Tegeocranus velatus Michael.

April 20, 1896

GENUS HYPOCTHONIUS KOCH 1842

(ὑπό = sub; χθόνιος = terrenus)

Hypochtonius Koch, C. M. A. Deutschl.
Leiosoma (ex p.) Nicolet, Hist. nat. Acarid.
Hipochtonius Michael, British oribatidae, vol. II p. 530.

Derma molle, subhyalinum. Anticum bene ab abdomine distinctum, plerumque conicum, apice plus minusve acuminatum, lamellis aliisque appendicibus omnino destitutum.

Rostrum palpis bene evolutis, plerumque e summo vertice conspicuis etiam ad dorsum.

Abdomen globosum, supra convexum, sulco unico vel sulcis pluribus transversis, manifesticribus exaratum et quasi in segmenta divisum.

Pedes mediocres, unco unico, vel uncis tribus apice terminati.

Genus hoc larvaeformis in *Angelias* per *Hypocht. tectorum* (species aberrans) incurrit et ab *Angeliis* (praecipue *A. tarda*, *A. murcioide* etc.) tantum sulcis notogastri transversis distinguitur.

Larvae adultis subsimiles.

Species typica *H. rufulus*.

In muscis degentes.

April 20, 1896

GENUS ORIBATULA BERL. N. GEN. (1896)

(= parvus oribates)

Corpus ut in *Oppiis* conformatum. Derma nitidissimum. Anticum plerumque sat magnum, semper ab abdomine distinctissimum.

Notogastrum perconvexum, ad angulos antico-laterales in laminulam minimam productum, quae laminula, varie conformata, pteromorpharum rudimenta significat.

Adsunt lamellae bene evolutae, pilis lamellaribus auctae.

Tectopedia prima subevanida; tectopedia secunda bene evoluta, valvaeformia; tectopedia tertia minuta, denticuliformia, tamen semper manifesta.

Pedes mediocres, haud corpore longiores, uncis tribus apice terminati. Pedes secundi et tertii paris omnino inferi, sive in ventre, satis a margine laterali discreti inseruntur.

Statura minores.

Species typica *Oribatula tibialis*.

April 20, 1896.

AVVISO

Il presente fascicolo 79 si compone di dodici numeri.

Però i numeri 7, 8, 9, 10, 11, 12 **non sono accompagnati da tavole.**